

Reponere autem lapsos hac in re quae facti est Pontifices, ut ipse aliquibus sed raris, sed haud aptis, ac congruis exemplis prolatis conatur demonstrare (p. 177.), haud scio an omnibus probetur. Praeterea mihi aliisque videtur illarum Epistolarum, in quibus SS. Pontifices Alexandriam *Dioecesis Aquensis* nuncupant, multo gravius, ac fortius probationis genus suppeditare, quam tot illae litterae quas profert, in quibus illud additamentum praetermittitur. Quis enim ignorat affirmantia licet pauca argumenta silentibus etiam multis praeponi? Quae si vera sit sententia, ut in hisce rebus veram esse communi consensu critici tradunt, quis inficiari poterit sub spirituali Aquensium imperio stetisse eo tempore Alexandrinos, qui tot repetitis vicibus Aquensis Dioecesis fuisse traduntur?

Addo etiam multis ex ipsis Alexandriae civibus hanc ratiocinandi methodum vix forte probatam iri. Et sane si Alexandria Episcopalem obtinuit dignitatem, si ipsi attributa Dioecesis cum finitimorum Episcoporum, ac Dioeceseon detrimento, si salva tandiu, atque incolumis stetit, si Episcopatum recuperavit, si Episcopos virtute sapientia, sanctitate praeclaros habuit (Lumel. col. 625.), id omne a R. Pontificibus est consecuta, qui peculiari voluntate et privilegiorum concessione haec ei ornamenta dederunt. Si itaque hac in re tantum eis conceditur auctoritatis, et gratiae, quidni tot multo majoribus eorum bullis, ac litteris in quibus illam ad Aquensem Dioecesim spectasse affirmant, non par auctoritas, ac fides tribuatur? In illis nullus facti error, nullum vitium; in istis ea ipsis macula adscribitur, errasse turpiter, idque in re alieno juri contraria, atque vix ferenda, nec una vice, sed saepius, neque ab uno Pontifice, sed a multis, sed perseveranter?

Qui vero in eo libro haec licet parum decora supremis Ecclesiae Hierarchis offendet, haud mirabitur, si cum agitur de Episcopo Guidone secundo, qui jus dixit in Dioecesi atque Ecclesia Alexandrina, deprehendet eum hanc evadendi viam invenisse, scilicet injuria fecisse, aliena jura usurpasse: et cum in publica Impetatoris Caroli IV. concione coram Marchione Montisferrati aliisque Cispadanis Marchionibus Guido II. exposuit se Ecclesiarum Alexandriae procuracionem gessisse, hic etiam eum solemniter decepisse, rem falsam narrasse, vix ferendam; et cum ipse Imperator nemine repugnante diplomate suo Guidonis expositionem confirmaverit, ignoranter tunc quoque Imperatorem, nec causa cognita fecisse.

Nescio autem an laetandum nobis sit, vel potius lugendum, quod unicum tantum superfuerit Guidonis Chartularii acta quaedam curiae complectentis fragmentum, ex quo quam plura desumsi ejus in Alexandrinos gestae jurisdictionis exempla. Si enim alia aliorum Episcoporum acta alicubi reperirentur, quae frustra per omnes angulos ac tabularia Aquensia perquisivi, vereor ne illam quoque injuriae notam integerrimis atque egregiis illis Episcopis aliquis Alexandrinorum rerum nimius amator affingeret. Tantum enim saepe obest alicujus opinionis praeconcepta sententia. Ceterum ante quam manum de hac tabula removeam, illud unice lectorem monebo, in clarissimi adversarii sententiam omnia historiae fundamenta susdeque loco suo movenda, ut ei congruant: contra veto in veteri receptaque opinione quam tuendam suscepi omnia cohaerere. Iis enim quae ab initio posui semel constitutis jam ratio de omnibus, quae posterioribus temporibus contigerunt, reddi potest. Hinc nos dignoscimus, cur ad Dioecesim Alexandrinam efformandam MULTAE Eccle-